



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

Lectori S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

LECTORI S.

DEderam publico ante annos duodecim
idiomate patrio Divini Amoris Isago-
gen, quæ cum tertio prælo reddita, &
Flandricè loqui docta, plurium manibus
tereretur, putavi me tulisse operæ pretium; & ha-
bere, quo IESU CHRISTO omnis sancti Amoris fon-
ti meritò gratularer: sæpius tamen exinde roga-
tus sum, ut eundem Librum Latinitate donarem,
quò ad plures per Germaniam, Italiamque, & Hi-
spaniam manaret ejus utilitas: id affectâ jam ætate
ut in animum inducerem, adduci nunquam potui,
donec Superiorum, quibus reverentiam, & obe-
dientiam debeo, non tam imperium, quàm nutus
accessit. Parendi itaque desiderio rem jam septua-
genario proximus sum aggressus, priùs ut videba-
tur, vitæ finem facturum, quàm operis; etsi Deo
aliter visum. Verba verbis non reddidi, & in fœtu
meo novâ veste donando plus mihi licere putavi,
quàm si alienus partus esset: sensum tamen ubique
persequi sum conatus; si quid addidi, aut dempsi, id
tam exiguum est, ut mentionem non mereatur.
Fruere Lector, & stylum excusa, ac pro me Deum
precare. Montibus Hannoniæ.

* *

A D